

de nullo defensionis vocem emittere, interminatus etiam quibusdam depositionem, quibusdam carceris habitationem, aliis varia atque diversa supplicia, dat facultatem mox de his gestis, quae ab Eutychete olim confecta sunt, nobis praesentibus recenseri. et post hoc praecepit dare praedictum Eutychem libellos adversum me. quibus lectis nullius me penitus dignum habitum rationis vel interrogationis iudicavit, sed continuo exurgens pronuntiavit illum quidem catholicum esse, reddens ei etiam presbyterium. compellit quoque invitos aliquos episcopos statim hoc ipsum pronuntiare et his uti sermonibus apud sanctam synodum: 'bene credit Eutyches'. 'Eutyches catholicus est'. 'credimus sic ut credit Eutyches'. 'teneamus, o fratres, Eutychetis fidem' et 'qui hoc non consenserit, anathema sit' et 'qui non dixerit duas naturas ante unionem Christi, unam autem post unionem, anathema sit' et 'qui aliud quam de homousion novit habuisse dominum carnem vel scrutans vel dicens, anathema sit'. et his dictis interloquitur ipse sic ut voluit: compellit autem quosdam, ut dixi, lacrimantes eadem facere. post paulum vero permisit legi canones qui habiti sunt ante hoc Ephesi: quibus hoc continetur, ut, si qui concutere quae ibi sunt statuta temptaverit patrum, si quidem episcopus fuerit, eum oportere deponi et reliqua, et super Eutychem hanc talem sententiam praevalere, qui ita palam aperteque Apollinaris dogma introducendum putavit. et quidem hoc non fecit, sed pronuntiat meam et Eusebi damnationem, omnibus lacrimantibus. episcopis dilationem vel unius diei postulantis non tribuit, et haec interlocutus cogit quosdam reliquos episcopos abominandae consentire damnationi, evaginati gladiis adversum eos qui hoc putabant esse differendum. ubi neque litteras sanctitatis vestrae, cum sufficiat ad confirmationem patrum fidei, legi permittit, sed illa, quae possunt etiam ipsis immitibus et ferocibus et caecis viam veritatis ostendere, inrationabilia et caecitate plena [pronuntians, alia erroris plena] suscipi ac legi praecipiens ne sermone quidem ullo dignos habuit qui a vobis sunt destinati. sed impetu quodam solo abutente illo convenerunt repente in unum diem, ut ita dicam, omnia mala: perturbatio, restitutio damnati, damnatio innocentis, qui in nullo sanctionem patrum credidi praetergrediendam. et cum velut ex conducto quodam omnia adversum me iniqua procederent, post illam iniustam vocem, quam contra me emisit, sicut ipsi placuit, me

45 eutychin. 46 recenseri] *vielleicht* recitari. 52 eutyches eutyches] eutyches. 57 homousion] *Amelli*: homusion. 57 novit] nobis. 60 permisit] *Amelli*: promisit. 61 hoc] *Amelli*: hac. 64 *vor* super fehlt *vielleicht* apparebat oder ein ähnliches Wort. 64 eutychin. 65 docma. 72 fidei] *vielleicht* id fieri. 74 nach plena ist ausgefallen, was ich dem Sinn nach ergänzt habe. 76 sed] *vielleicht* sic.